

No. 895. 1416. 22. Aug.

*B. Rudolph überweist dem Vicar Martin Czikow, nachdem er sich von der Berechtigung der Ansprüche desselben überzeugt hat (Bd. I. No. 353), den zur Vicarie Symonis et Judae gehörigen Zehnten des Allods in Goselitz und verwandelt denselben wegen Unsicherheit der Bezüge mit Genehmigung des Capitels und des Betheiligten in eine jährlich von dem Allod zu leistende Zahlung von zwei Schock Groschen.*

Nos Rudolfus dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Misnensis tenore praesentium recognoscimus universis, quod constitutus coram nobis honorabilis vir dominus Martinus Czikow perpetuus vicarius vicariae beatorum apostolorum Symonis et Judae in dicta ecclesia nostra Misnensi nobis exponere curavit, quomodo totalis decima tam de agris quam de pratis allodii nostri in Goslicz ad dictam suam vicariam de iure pertineret et debeat pertinere, supplicans nobis humiliter et devote, quatenus huiusmodi decimam sibi dare et porrigere dignaremur. Sed quia ipsa decima nec per nos nec per praedecessorem nostrum ut intelleximus dicto domino Martino data fuerat, nec de iure ipsius domini Martini nobis tunc constabat, ipsam decimam tunc sibi dare denegavimus adiicientes, quod per huiusmodi nostrum responsum iuri beneficii sui non vellemus aliquammodo derogare, immo potius salubri intentioni dictam vicariam instituentium innitendo ac ipsam pio affectu prosequendo praefatum dominum Martinum in iure suo vellemus conservare, maxime quia ius praesentandi dictae vicariae ad nos pleno iure dinoscitur pertinere, postquam idem dominus Martinus nos de iure suo legitime informaret. Tandem praedictus dominus Martinus pro iure suo nobis certas litteras privilegia et munimenta dictam vicariam instituentium praesentavit, quibus receptis et cum capitulo nostro Misnensi diligenter auscultatis, bene perlectis et debite intellectis, invenimus dictam decimam allodii nostri in Goslicz ad memoratam vicariam beatorum apostolorum Symonis et Judae pertinuisse et pertinere, antedictumque dominum Martinum nomine beneficii sui ad praedictam decimam restituendum fore et restitui debere ac reintegrari. Nos igitur Rudolfus episcopus Misnensis supradictus nolentes ea, quae per Christi fideles pie et rite acta sunt, retractare et quae ad cultum divinum deputata sunt minuire vel auferre, immo potius ea et cultum divinum quantum in nobis est augmentare volentes, et ex praemissis causis de consilio et consensu dicti capituli nostri memoratum dominum Martinum nomine praedicti sui beneficii ad praefatam decimam in Goslicz restituimus et reintegramus dei nomine in his scriptis. Et licet praedictum allodium nostrum per antecessores nostros adeo desolatum existat, ut modicum nobis de ipso cedat pro praesenti, per hoc tamen dicto beneficio nihil deperire cupientes, incertos fructus in consolationem certam commutare volentes, pro dicta decima et loco ipsius decimae in omnem eventum dicto domino Martino et suis successoribus de consensu et consilio dicti capituli nostri, voluntate et consensu memorati domini Martini pro se et suis successoribus etiam accedente, de dicto allodio deliberavimus dare duas sexagenas grossorum usualis monetae, prout communiter in terra Misnensi pro censu dabuntur et recipientur; quae inquam duae sexagenae grossorum ad praesens solvunt sex florenos Rynenses.